



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. V. Diuitias principi quærendas esse.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

dum dignitatis. Incessus grauis, tardus; vectio cum austeritate, ut & in ministris sit maturus omnium agendi modus, non inordinati discursus. Sexto. Familiares intimos habeat paucos, quibuscum iocetur, arcana promat, idque caute; nam plerique talium, vel indicant alijs, glorianturque de familiaritate principis, & inuidiam sibi, principi imprudentiae opinionem conciliant; maxime si boni non sint, & rara est ea felicitas, ut bonos multos circum se habeant. Attalus Rex imagines ex longinquo spectandas dicebat; & sane raritas admirationem parit, satietas familiaritatis minus verendos facit. Septimo. Magnopere caueat, quod pauci etiam boni principes cauerunt, ne ab uno, alteroue regi videatur. Hunc enim pro principe venerantur, principem pro statua habent. Hinc odium omnium regum in illos reges, Seianum, Plautianum, & quos nostro tempore potentiae poenas dedisse videmus: quidquid enim administratur etiam recte, odiosum optimatibus est; quia auctor consilij inuisus est. Octauo. In legationibus quoque recipiendis splendida sit modestia, ut videatur luxum fugere, dignitatem amare. Mulierculum est toto thesauro lucere. Augustus consuevit veste, & habitatione contentus erat, Alexander Severus gemmas vendidit, quod diceret, in virtute, non decore imperium esse. Thesauros nullo modo legatis aduenis ostendet: nam superbiam interpretantur, & inuidiam concipiunt, si ingens sit, si mediocris, contemnant. Et principem stultum arbitrantur, qui parua magni aestimet.

CAPUT V.

Diuitias Principi querendas esse.

Principi hō
neſte opes
querendas.

§.1. **A**VARVM principem, iam supra cum de liberalitate agerem, detestatus sum, nunc quoque eum detestor: sed tamen prouidum, & benenummatum requiro; imo vnam ex primarijs principum virtutibus esse affirmo, diuitiarum cumularum industriam; nec parum delinquant, qui eam gubernationem instituunt, ut ararium semper vacuum sit. Hoc igitur nunc mihi ostendendum est, ipsum, ac sanctum id esse, principis & Reipublicae officium, ut sequentibus deinde disputationibus de ratione colligendi opes tractare possim.

Diuitia pu-
blico neces-
saria.

§.2. Initio hoc tanquam fixum, ratumque statuo; Non probandos diuites, qui desiderijs vastantur, cupiditatibus dissipantur, timoribus cruciantur, tristitia contabescunt. haec enim hominum vitia sunt, tam in paupere, quam mediocri, & diuite. Sed diuitias principi, & Reipublicae necessarias assero; Donum Dei sunt, ut docet Augustinus, gratum cum datur priuatis, necessarium, cum principi. Itaque & illas propter supplementa necessitatis, ut loquitur Augustinus Pl. 66. desiderabit princeps. Ad formicam mittitur piger, & tempestiui laboris admonetur, ne hyeme esuriat, quo mittenda est Respublica, ne se deserat? Habentes pecuniam non peccant, sed nimium amantes. Imo tanto tutius, & melius habentur, quanto minus amantur. Nec mihi opponant apostolicam comminationem. Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem. Pro me enim respondet Augustinus l. 1. c. 10. de ciuit. Profecto in diuitiis cupiditatem reprehendit, non facultatem. Nam quam priuati difficulter opes tenent, & non diligunt, Respublica tamen facilius ut instrumenta virtutis, & praedia defensionis usurpare potest; Nescio, inquit Augustinus, quomodo cum superflua, & terrena diliguntur, arctius adepta, quam concupita constringunt. Sed hoc ex eo est, quod pecunia priuatis ad sua desideria implenda petuntur, principi ad salutem Reipublicae.

Auaritia nō
opes dānan-
tur.

§.3. Regum omnium sapientissimos habemus ab orbe condito Dauidem, Salomonem, Josaphat, Ezechiam, Josiam. Opes Dauidis ostendunt ea, quae pro templo collecta sunt. 1. par. 22. 14. Ecce ego in paupertate mea preparavi impensas domus Domini auri talenta centum millia, & argenti mille millia talentorum: auri vero, & ferri non est pondus, vincitur enim numerus magnitudine: ligna & lapides preparavi ad vniuersa impendia. De eius Thesauro multiplicibus. 1. par. 27. 25. Super thesauros autem regis fuit Azmod filius Adiel. his autem thesauris, quierant in vrbibus, & in vicis, & in turribus, praesidebat Ionathan filius Ozia. Ecce 1. thesauri regis, 2. in vrbibus, 3. in vicis, 4. in turribus. adde agros, & pecus. Ecce regem tot thesauros possidentem, nec avarum tamen, imo liberalem, māsuetum, qui canere coram Domino consueuerat. Beatus, qui intelligit super egenum & pauperem in die mala liberabit eum Dominus. Nam thesaurus egenis, pauperibus, toti populo seruabatur.

Liberalis
Dauid, &
diues.

De Salomone frustra pauca dicuntur, quia multa passim habentur. 2. Reg. 10. 26. Congregauitque Salomon currus & equites, & facti sunt ei mille quadringenti currus, & duodecim millia equitum.

Et 2. par. 9. dicitur fuisse ditior vniuersis regibus, & praebuisse tantam copiam argenti in Ierusalē quasi lapidum.

De Josaphati diuitijs supra dixi, deque eius exercitu.

Ezechiae diuitias Scriptura praedicat, 2. par. 32. 27. Ezechias fuit autem Ezechias diues, & inclutus valde, & thesauros sibi plurimos congregauit argenti, & auri, & lapidum pretiosi, aromatatum, & armorum vniuersi generis, & vasorum magni pretii. Apothecas quoque frumenti, vini, & olei, & praesepia omnium iumentorum, caulag, pecorum, & vrbes edificauit sibi: habebat quoque greges ouium & armentorum innumerabiles, eo quod dedisset ei DOMINVS substantiam multam nimis.

Ezechias
diues.

Josiae quidem pietas, & zelus magis probatur in Scriptura, quam opes, diuitem tamen fuisse ostendit potentia, qua omnes abominationes sustulit de terra, atque ipsa ex celsa, quod nemo regum haecenus fecerat. Et phae tale restituit, quale nunquam fuerat, in quo ipse de substantia regis dedit triginta millia pecoris, & tria boum millia. Nec exiguum est signum potentiae, quod Pharaoni Neco contra Assyrios pergenti occurrat; nam sine dubio Necoanis exercitus, quem contra potissimum regem ducebat, ingens erat, nec tamen eo se imparem Josias putabat, & forte vicisset, nisi Dominus expeditionem improbasset. Tantos viros rerum male gestarum accusare dementia est, multumque aberrant, qui regum esse putant aurum dare, non feruare. Dandum est, & seruandum, vtrumque necessarium est. Sed cum ratione dari non potest, nisi seruetur. Quod si tamen hos arguere libeat, quid Iosepho faciemus? qui immensis redditibus regiam Pharaonis intruxit; nam & pecuniam accepit, & pecora & agros, ac deniq; quintam annuarum frugum partem. Cur tanta opum abundantia regem intruxit? si ex arte regnandi non erant illae diuitiae? Ego vero arbitrator, omnem Romanorum redditum publicum exiguum esse partem opum Pharaonicarum, si frugum omne genus spectetur. Nam primo in terra Gessen virorum habitabant sexcenta millia, illiq; Israelitae erant, totidem fuerunt Aegyptij, vt in vniuersum fuerint duodecies centena millia, totidem adde feminas aui maturi, erunt vicies & quater centena millia, quem numerum ex pueris, & puellis tenera aetate, & seruitijs duplicabis, ut sint in sola Gessen quadragies & octies centena millia, cuius pars quinta fuerit minimum nouie centena millia, quae ex solius terrae Gessen quinta parte Pharaon alere potuit. Si enim tota terra toti populo sufficit, ergo & pars quinta quintae. Imo plurimum tritici efferebatur in vicina

Iosias di-
ues.

Ioseph rem-
publ. diuitie
fecit.

vicina & longinqua regna. Si igitur tantus reditus ex sola terra Gessen, quantus ex tota Ægypto?

§. 4. Nec aliud ratio suadet; Tanti enim es, quantum habes, si opes defunt, deerunt amici; nemo se facile ad infelicem parietem inclinat; multi enim congressum principum egentium, oblatorumque deuitat; quia ne a se pecunia mutua petantur formidant. Verre dixit Mucianus; Pecuniam esse neruum imperij, opus sunt opes, sine illis nihil fiet, quod est opus. Omnia venalia sunt nummis, & Roma emptorem inuenit, ut Jugurtha prædixit. Si nummos habeas in hostium castris, consiliisq; amicos, si non sinceros, at vtilis habebis; quid enim sapientius illo dicto;

Αργυρέας δόχους μάχη, καὶ ἀδύνατος ἡγεμῶν σεις;

Argenteis hastis pugna, & omnia vinctes. Victoriæ itaq; compendio se priuat, qui pecuniam non collegit. Nec te moueat vetusta simplicitatis oratio;

Non cauponantes bellum, sed belligerantes.

Imo bellum redimentes; cur enim non potius vincam impensis pecuniarum, quam sanguinum? si asinus aut onustus arcem capere potest, exercitum integrum seruabo. Sed nec bello tantum, sed pace necessaria sunt diuitiæ; qui enim se principi applicant, multi honorari, plerique inaurari cupiunt. Donare igitur principem oportet, & quia multorum fida opera indiget, largiter donare. Liberalitatis autē fons est parsimonia.

§. 5. Qui virtute sola se dicunt niti, & auro fidendum negant, speciosa oratione vtuntur, sed fallace. Non est virtus principis se facultatibus, Rempublicam præditiis nudare. Auro fidendum non est, sed vtendum; & quo vti possis, habendum est. Cum enim multorum obsequia, fidesque sit principi necessaria, illique virtutem auro posthabeant, muneribus tenendi sunt. Atque hoc virtutis est, sua quemque voluptate, tanquam esca trahere ad officium præstandum.

Circumfertur etiam, & cum adolescentulorum plausu dictatur, vetus sententia Cyri, & aliorum qui prudentiæ laude floruerunt. *Thesaurus esse amicos*; ita enim & Alexander Dario respondit; *Ipsum thesauros arcis inclusisse, se vero nullos habere thesauros præter amicorum animos*. Verum hæc in speciem, & fiducia generose ostentatione, magisque ad conciliandos amicorum animos, quam ex animo dicta esse euentus ostendit.

Nam Alexand. in ista infania aurum collegit, triginta millia mulorum tibi captiuum aurum vehunt, obijcit nobilis reus. & cum tam multa rapuerit, mirum est tã pauca dedisse. Sed videamus eius thesauros quis amicorum ei non infidiatus est? quis principum non fuit particeps stirpis eius exstinguendæ? Ne vero de illis dicam, quos vitia regis irritauerant, militum animos non tenuit, cum opus spes decollasset, legatur apud Curtium itineris ex Indiâ cōuersio. Intelligent omnes cum sine spe pecuniarum nihil omnino, sine pecunia parum effecisse. Quid enim? an tu existimas vllum è Macedonia sequuturum sine illo illicio fuisse, cum legamus toties eius milites, cum largitiones, & suas prædas decoxisse redditum postulare? cum Argyraspides vt impedimenta redimerent, imperatorem suum Eumenum traderent hostibus? Idem quod inter signa agitur, in foro, & curia quaritur. Inopem rarus defendit. Militi arma, principi pecunia in campum proferenda est, in tot populis vix vna fides, nummo mentes auditoranda sunt; quod vt fieri possit, arario consulendum est. Quod si quis sine spe pecuniarum amicus est, qui sane rarus est, ille tamen ditandus est; tum quia principi expedit, tam fidi animi virum esse quam potentissimum, tum quia tam generose voluntatis pœna non debet esse paupertas. Thesauri itaq; sunt amici, sed fouendi sunt, euehendi sunt, ne melior apud principem cōditio inimicorum esse videatur. At vbi amicos

ditauero, ipsi mihi egenti succurrunt. *Julianus nunquam augenda pecunia cupidus fuit, quam cautius apud dominos custodiri existimabat*. Verum hæc nō nisi pueris persuaderi possunt. Ego serua quæro. Nec Marcellino credo Julianum laudanti, nec Constantinum agentium. Non credam Julianum pecuniæ non fuisse cupidum; vt quem sciam ex persecutione Christianorum, confiscationibusq; loculos stipasse, verbis, & factis interdum philosophiā simulauit, alias Christianis illudere solitus, cum de iniuria quererentur; *Christi suasse paupertatem, beatos illa fore*. Quod si Remp. qualis esse solet, constitutam consideremus, non facile præsidium quæret ab amicis in periculo princeps, quibus in prospera fortuna diuitias dedit. Nā ne tum quidem amicos nisi donando effecit, & nunc petendo, aut spoliando faciet inimicos. Multos etiā inueniet, qui malent principem non esse, quam se eius causa pauperes esse. Caligula, Nero, largitionib; & luxu omnia prodegerunt, an ideo amicū inueniunt? si de bonis & equis principibus loquamur, vnus hæcenus exemplū quæro, quem amici beneficij memores in integrum restituerint, nisi vel spes maioris emolumenti liberalitatem prolexit, vel timor maioris damni nummos extorsit. Ita igitur sperandum in amicis, vt sciat plus præsidij esse in illis, qui noua beneficia sperant, quam in illis, a quibus gratiæ postulantur.

§. 6. Nec principi colligendarum opum duntaxat cura incumbit, sed etiā illi ad quem successio spectat, qui iure aliquo ad principatum venire potest. Cum enim pecuniæ obediunt omnia, certum est nihil esse quod non obediat, excepta virtute. Omnia inquam pecuniæ obediunt, etiam pecunia accepta, illi quæ speratur, præcedens, securæ; omnia obediunt, etiā arma hostilia, etiā pecunia hostilis ararij, si maior à te speretur. Hinc pecunia multi sunt principatum assequuti. Et genus, & regnum regina pecunia donat.

Thucydides l. i. Pelopem Asiatica pecunia quam peregrinus aduexerat inter pauperes famam, & gratiam, deinde regnum obtinuisse narrat. Didius Julianus imperium à militibus cōmit, Herod. l. 2. Manlius olim idem tentarat, & quod mireris, Bruti filios spe cōmodorum Tarquinij suos fecerunt. Tarquinius Priscus honesto pecuniarum vsu neglectis Anci filijs imperio potitus est; nec aliud deinde in Rep. factum; Ambitus tot legibus, iudiciis, pœnis oppressus nullis comitiis abfuit. *Annua venali redeunt certamina campo*.

Causa est, quia omnes sibi potius, quam Reip. principem quærunt. Eum plurimum optant posse, à quo plurimum sperant.

Virtus, fama, decus, diuina humane pulchris
Diuitiis parent, quas qui construxerit, ille
Clarus erit, fortis, iustus, sapiens, etiam rex,
Et quicquid volet, hoc, veluti virtute paratum
Sperauit magna laudi fore.

Sic iudicant etiam prudentes; si enim in priuata fortuna rem fecit, & amicis benignus fuit, largusq; quid faciet in principatu? Nam facito cogites, vt cuiq; homini res parata est, ita firmi amici sunt, si res labant, trident amici colabascunt, Res ad regnum prouehit. Non hæc eò dico, vt malis artibus, & largitionib; imperium quærendum doceam. sed vt principi inculcem, quantam vim habeat res domi bene constituta ad ius suum obtinendum. Iisdem autem artibus imperium tenetur, & acquiritur. Sunt enim opes rerum ciuiliū insigne instrumentum. ita Arist. l. i. pol. c. 8. Cum dixisset τὴν χρημικὴν acquirendi artem, esse œconomίαν partem, cui res ad vitam necessarias, & ciuitatis communionem vtilis suppeditat. Addit καὶ τοῖς ἄλλοις ἀλλήλων ἀλλήλων ἐν τῷ αὐτῷ εἶναι, ἢ γὰρ τίς τοῦ αὐτοῦ καὶ τῶν ἄλλων ἀνταρξία, πῶς ἀγαθὰ ἔσονται ἀπὸ τῶν ἑστέων ἀσπασίως Σόλων φησὶ ποίησαι.

Πάντες δ' ἐδὲν τέρεμα πεφασμένον ἀνδρῶσι καὶ ταῖς

Julianus ver-
bo liberalis,
re parcus.

Principi
pauperi in
periculo ab
amicis pene-
re inturum.

Acquirendo
imperio pe-
cunia est ne-
cessaria.

Hac poten-
tia ad salu-
tem vtatur.

Omnia pe-
cunie obe-
diunt, etia
hostes.

Pecunia e-
mere victo-
riam præ-
stat, quam
sanguine.

Virtus au-
rata omniū
potentissima
est.

Alexander
auro incu-
lans.

Alexandro
amicis vix
vili.

Cupidi spe,
vel re tenē-
di sunt, ami-
ci ditandi,
quia mere-
tur.

